

Joachim Otto

Serenissimo Potentissimoqve Principi Ac Domino, Domino Friderico Wilhelmo, Duci Regenti Terræ Mecklenburgicæ ... Principi Sapienti, Bono, atqve Augusto, Postqvam Feliciter Etiam Sibi Successionis Jure, Quod Primogenitus Habet, D. IX. Maji. Anno M D CCI. Ducatum Güstroviensem Vindicavit Recuperavitqve, Sacrum

Güstrovii: Typis Johannis Lembkii, [1701]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1665312610>

Druck Freier  Zugang



MK

1142

Mk.

1142

SERENISSIMO POTENTISSIMOqve
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO
WILHELMO

DUCI REGENTI TERRÆ MECKLEN-
BURGICÆ, PRINCIPI VETUSTÆ GENTIS
HENETÆ, SVERINI & RACEBURGI,
COMITI SVERINENSI, TERRARUM
ROSTOCHII & STARGARDIÆ
DYNASTAE, &c. &c.

PRINCIPI

SAPIENTI,

BONO, atqve


AUGUSTO,

POSTQVAM FELICITER ETIAM SIBI
SUCCESSIONIS JURE, QUOD PRIMOGENITUS HABET,
D. IX. MAJI. ANNO M D CCI.

DUCATUM GÜSTROVIENSEM

VINDICAVIT RECUPERAVITqve,

SACRUM.




GÜSTROVII,

Typis JOHANNIS LEMBKII, TYPOGR. AUL.

Mk 1142.

SERENISSIME DUX,
DOMINE CLEMENTISSIME



Geschenk
6. VI. 1905.

Liceat etiam sic adire SERENITATEM TUAM,
qvæ in Mecklenburgico jam Cælo
Solis instar Terram etiam Nosfram illustrat,
tam liberali facie, ut facem inde suam
accendant, qvi accedunt, aditu patente cuicunqve.

Fata Güstrovij offero
Sub PRINCIPIBUS suis Christianis,
tam felici fato,
Ut non potuerint in alio quiescere & confirmari,
Nisi in T. SERENITATE,
ad quam nunc redeunt omnia.

Melioribus quippe fatis Gentem Nosfram DEUS
destinavit, ut qvæ Regibus quondam suis
Superbivit, ad eandem nunc gloriam
in Tuo SERENITATIS Nomine
quam proximè iterum assurgeret.
Conjungere ergò magis voluit vires
Mecklenburgicas, ne amplius
In divisione animorum & consilia interpellentur,
& Autoritas minuatur.

Nihil restat, quam ut
Felix Regimen,
PAX PERPETUA,
Vita longæva,
Deiqve gratia omnis

TUAM SERENITATEM plena salutis copia
comitetur & reficiat:

Id quod omni animi subjectione
indefinenter apprecatur

SERENITATIS T.

Servus humillimus

JOACHIM. OTTO. Rect. Gymnas.
Güstrov.



Ccepimus tandem à Supremo

Numine post tot vota, tot suspiria Magnum illum Principem, DUCEM SERENISSIMUM ac POTENTISSIMUM, DOMINUM, DN. FRIDERICUM WILHELMUM, Dominum Terris suis hæctenus Clementissimum, ut noster etiam Nutritus fieret longè benignissimus. Hæsimus hæctenus inter spem metumque, variis luctati vicissitudinibus, postquam incomparabilem DUCEM gloriosissimæ memoriæ GUSTAVUM nostrum ADOLPHUM irrevocabili factorum lege amisimus. Atque optandum fuisset, ut turbatus tunc animus frustra sibi præfagiisset venturam aliquam mali procellam, inque luctu publico solatium statim attulisset, sicut in aliis terris felicioribus, Heres certissimus. Verùm sedimus aliquvandiū velut in tenebris, de futuris admodum solliciti, luctumque nostrum in aliquot annos protraxit nescio quæ rei calamitas aut difficultas. Faciem corporis præbebamus membris suis dissoluti, sine Capite, sine Duce. Quæ lux, quæ gratia affulgere sic poterat illis, qui pacem amant Reipublicæ, qui fortunam, qui tranquillitatem? Verum enim verò DEUS sit jam benedictus, qui suâ gratiâ rem omnem iterum composuit, nosque ad lucem, discussis tandem tenebris, redire voluit.

O quam fortunatum illum diem prædicamus, qui talem iterum nobis PRINCIPEM dedit, qui sub DEI cura & bonitate adhuc vivit, nobisque Spem facit Bonitatis suæ amplissimam. Deponamus jam cogitationum curas, quibus in diversa quæque animus hucusque divisus fuit, in adversis plerumque malè sibi persuasus atque cautus. Insigne hoc DEI beneficium agnoscamus, quòd eum nobis PRINCIPEM Dominum concedere voluit, qui Terrarum amplitudine Rebus nostris & majorem autoritatem & successum addere valebit, & non intermittet. Sit Ingressus tanti PRINCIPIS in urbem nostram felix, sit progressus ita ex voto, ut Salus rerum Ipsius undique quærat, promoveatur, & in æternum maneat. Et quoniam GÜSTROVIO ea semper a primis annis obtigit felicitas, ut sub Ducibus suis Serenissimis hæctenus feliciter succreverit, paucis etiam exponamus jam FATA GÜSTROVII BENIGNA SUB PRINCIPIBUS SUIS, eâ quidem spe, fore, ut sub TANTO jam PRINCIPLE Nostro incrementum rebus nostris majus accedat.

Vos interim, VIRI PERILLUSTRES, MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI, & quotquot in Serenissimum PRINCIPEM, jam Dominum nostrum,

pietas congregare huc voluit, quamcunque aurium benevolentiam verbis tribuetis, non mihi Oratori, utpote qui nullus sum, sed in laudem PRINCIPIS nostri Magni atque Serenissimi eo, quo fas est in tantum Principem amore, conferetis. Ego, licet verba tantæ rei, quam suscepi, non respondeant, id tamen per omnes partes agam, ut parendi voluntate atque obsequii promptitudine, quâ DUCEM nostrum Potentissimum excipere oportet, nulli concedam.

GÜSTROVIUM, A. O. si rem altius repetere velimus atque conjecturis quodammodo committere, sicut natales suos Sarmatis Venedis five Slavis (a) debet, qui in locum Vandalorum, jam Seculo V. sedes sibi certatim alibi quærentium, succedebant, ita vocis etiam originem inde trahere non sine causa censeatur. Vox namque est composita ex *Gesty* / quod Polonis atque Slavis est FREQUENS, CREBER, & *Rów* / quod iisdem significat ALVEUM, VADUM, FOSSAM, ut adeo GÜSTROVIUM idem sit ac vicus multis vadis aut fossis frequens; sicut alii etiam vici eandem Venedorum gentem auctoris sui nomine compellare opus habent. (b) Quo Seculo condi cœperit GÜSTROVIUM, mittamus jam, destituti quippe certis

(a) *Venedi, Veneti, Heneti, Winedi, Winethi, Wendi, Slavi, Germ. die Wenden* / una nobis eademque intelligitur Gens Sarmatica, ex Livonia, Lithuania, Russia vicinisque terris in omnem hanc maris Baltici oram paulatim ingressa ac longe lateque diffusa, post fatalem Vandalorum Herulorumque ex his regionibus in S. Imperii Rom. Provincias factam seculo V. demigrationem. Neque enim hodie amplius confundet Vandalorum ac Venedorum gentem (confuderunt autem olim quamplurimi Kranzii auctoritate decepti) qui vidit legitque Philippi Cluver. Germ. ant. Job. Micral. Pomer. antiq. Henrici Bangerti Not. in Helmoldi Chron. Slav. & imprimis magni Polybistor. Schurtzschii Dissert. de Rebus Slavicis, cujus e multis hæc pauca jam allegasse sufficiat. Tantum, inquit, a Winedo distat Vandalus, quantum a Sarmata Germanus, a Germano Scythæ, ab indigena exterus §. 7. Vandali hæc oras primi coluerunt omnium: Vandalis Venedi, Venedis Sarmata, Germanis Scythæ successerunt. §. 8.

(b) Non omnes quidem Urbes, vici, pagi Terrarum Meckleburgensium Venedis denominationis originem debent, cum nec omnes ab iis primùm condita ceperint, & multa passim loca a Vandalis priscis condita Germanicam appellandi originem huc usque servarint, vgr. Meklenborg s. Mikelenborg Schwerin, Kyssin, Werle, Wismar, Warn &c. hæc pauca tamen vel Henicis redolent, ut omnia in Owe desinentia, vgr. Malchow, Tetrow, Krakow, Büzow &c. vel manifestò sunt Slavonica, egr. Rozstock significans terram uliginosam s. divisionem aquarum, fatentibus ipsis etiam Polonis (Conf. Petr. Lindenb. Chron. Rost. L. I. c. 6. n. III.) sic Dobran à Dobry bonus, denotat fundi bonitatem. Ribniz à Ryba piscis vel Rybny piscosus, significat locum piscibus abundantem. Gnojen à Gnojimus l. Gnoje stercoro, indicat locum à stercorandis agris denominatum. Plaw a Plawa navigatio s. crates lignorū, l. Plawie natate facio, arguit locum multis navigiis s. scaphis s. ratibus conspicuum. Suis quoque nomina locis hodie satis conveniunt. Quidni etiam Güstrovio? Güstrow quasi Gestyrow, frequens vadum. Vada enim hic multa occurrunt propter stagnorum trium Nebulaque quasi confluentiam, in propatulo est. In ipso etiam Güstrovio vetustatem Henicam sapit Cerevisa illa primaria, quam vulgo Knisenack appellare consuevimus.

certis rerum monumentis. Non tamen ignobile hoc fuisse oppi-
 dum jam Seculo XII. vel ex eo patet, quod eò missi sint ab Ottone An. circ.
 Bambergensi Episcopo, Pomeranorum Apostolo, qui converterent 1129.
 etiam GÜSTROVIENSES, testante Cramero aliisque. (c) Et latue- f. 1130.
 rit antea velut in tenebris suis GÜSTROVIUM, simul tamen cum lu-
 ce Evangelii illuxisse, satis gloriosum est urbi nostræ. Neque du-
 bitandum, jam OTTONUM Seculo X. in has etiam Terras pervenisse
 Evangelii sonum, cum in hanc curam profus incubuerint optimi
 illi Cæsares, ut ad Fidem etiam reduceretur Venedorum gens, ere-
 ctis jam sub OTTONE III. ceu Helmoldus (d) fidem facit, in Obo-
 tritorum & Kiffinorum provincia variis Ecclesiis. Quæ gratia
 Dei subinde propius accessit Venedis etiam Güstroviensibus, dum
 Seculo XI. GODESCALCUS Rex ille Obotritorum Kycinorumqve

B

Ma-

mus, constat a procul dubio ex Venedorum vocabulo Knees, quod Dominum significat, ut inde nobis, eam olim fuisse maximè pro Dominis coctam (eum Herren-Bier) suspicari liceat. Obiter verò illud etiam hic dicendum restat, Polonorum ac Henetorum fuisse semper & esse diversas modò unius Lingvæ (Slavonica) dialectos, cum Polonus Henetum, Henetusque Polonum facile intelligat.

(c) *Cramerus in Chron. Pom. Ecclesiast. Lib. I. cap. 32. Folgendes haben die Bis- schöffliche von S. Otten ausgesandte Priester die zu Großwin / Demmin / Lohß / was noch davon übrig gewesen / Treptow an der Tollense / Stargard / Güstrow / und andere Orter mehr bekehret und getauffet. Zu der Zeit aber waren der Obotriten oder Neckelburger (dahin heutiges Tages Güstrow gehört) Abgötter Nidegast und Sirve &c. Item Johan. Micraelius Pomer. Veter. Lib. 2. S. 68. pag. 236. seqq. Quorum uterq; usus est Thoma Kantzovii Chronico Pomer. Mscto; quod cum in paucorum modò manibus reperitur, verba quædam huc facientia inde mutuabimur: Als S. Otto zu Wolgast den Christenthum eingeführet / hat er etliche Priester gen Großwin geschickt / und nachdem das Volck alda gutwillig gefunden wurd / haben sie die bekehret und getaufft / darum ist S. Otto dahin nicht gezogen. So hat er auch seinen Archi-Diaconum Sivert / und Albin gen Dämmin geschickt / dieselben haben das Volck gar willig befunden / bekehret und getaufft / desgleichen die zu Lohß und Trebetow / und haben ihnen alda allen Gottesdienst und Kirchen-Gebrauch angerichtet. Und seyn dieselben also fortan gen alten Stargard und Güstrow gezogen / und an andere Orter / das ist das Land zu Wenden heisset / und haben dieselben auch bekehret / also daß S. Otto dahin nicht gekommen / denn er war fast ein alter Mann / daß er es allenthalben nicht wohl vermochte zu bereisen. Aber er hatte es grosse Freude / daß der Christenthum so wohl durch die Seinen fortgieng / als Jhn selbst. &c. Fol. 102. A.*

(d) *Helmoldus in Chron. Slav. Lib. 1. cap. 12. inter alia hæc refert: Tres Ottones Impp. omnes pari devotione erga Slavorum Vocationem affecti fuerunt. Et repleta est omnis Wagirorum, Obotritorum, sive Kycinorum Provincia, Ecclesiis, Sacerdotibus, Monachis & Deo dicatis Virginibus &c. Idem ibidem de temporibus R. Godescalci cap. 20. talia commemorat: Factumque est, ut provincia plena essent Ecclesiis, Ecclesia vero Sacerdotibus, Sed & Kyssini & Circipani, & quæcunqve gentes circa Panim habitant, receperunt gratiam fidei. Est autem Panis fluvius, in cujus ostio sita est civitas Dimine. &c. Güstrovienses inde non possunt excludi, quia Kyssinis & Circipanis suere proximi. Godeschalcus autem Rex ab A. 1032. usque ad A. 1066, in his Terris regnavit,*

Magnus, quò Evangelii cursum magis promoveret, ipse subditis suis salutis nostræ Veritatem prædicavit. Dolendum tamen, vicinorum Saxonum aut avaritiâ, aut aliâ iniquitate, aut ipsâ Venedorum pertinacia id esse factum, ne radios suos Evangelium in animis tunc hominum confirmaret, ipso etiam Godescalco infidiantium Venedorum nefariâ manu pereunte. (e) Fractâ tandem à Christianis Saxonibus ejectâque partim Henetorum gente sub Henrico Leone & Alberto Urso, ita fuerunt omnia mutata, ut lucem acceperint terræ Meclenburgicæ plenior, & Fidei & Linguae Jurisque Saxoniae inferioris. Quæ res licet ultimis Henetorum Regibus id damni attulerit, ut variæ ipsis terræ sint avulsæ, (f) Dominisque aliis parere cœperint, eò tamen cessit, ut Animarum Salus inde fuerit procurata, divitiis sic divinæ gratiæ largius superfluentibus.

Atque PRIBISLAUS II. sicut varia, quæ ad cultum Dei pertinent, laudabiliter instituit, ita barbaros Henetorum mores in eam felicitatem correxit, ut sub mansueto tandem Christi jugo omnes conquieverint, relicto velut in Fidei suæ testimonium magnæ quondam celebritatis Cœnobio Doberanensi. Eadem Patris vestigia legit Filius HENRICUS BURVINUS I. qui neglecto Regis titulo, DOMINI contentus fuit solo nomine, id sibi gloriæ ducens, quod Ecclesiæ membrum esset Christianum. Quantâ autoritate, quâ gratiâ tunc apud Principes jam valuerit Güstrovium, non possunt ignorare, qui HENRICUM BURVINUM II. Sedem sibi hic elegisse recordantur, Anno nimirum supra millesimum ducentimum decimo nono. (g)

A. 1219.

Ex eo tempore caput suum magis erigere cœpit Urbs hæc nobilissima: confluxere cives, surrexere in Splendorem ædificia, faciesque rerum omnium lætior visa est. Exstrui enim tunc cœpit Templum, ut vocatur, Cathedrale, (h) in honorem Cæciliæ, quippe cujus Festo universa fere Venedorum hæc aut Herulorum terra nomen Christo dedit in sancto Baptismatis lavacro, sumtus ædis hujus sacræ largiente ipso Burvino, eâ quidem liberalitate, ut quadragies mille Floreni numerarentur: quæ pecuniæ summa in tanta rerum vilitate tunc erat maxima. Ab eodem Principe Jus accepit atque Privilegia SVERINENSIA, non quidem sine omine, ut

A. 1226.

nimi-

(e) Conf. Helmold, Chron. Slav. Lib. 1. cap. 15. 16. 19. 20. 22. 23.

(f) Scil. Comit. Sverinensis, Terra Polabingorum s. Ducatus Lauenburgicus, Wagriacum Lubeca, pars etiam Marchia vicina. Vid. Helm. l. 1. c. 87. 88. 91.

(g) Chemnitius in Geneal. Duc. Meclenb. quam ex Archiv. Princ. Meclenb. bona fide contexit, in Henrico Burvino II. hæc tradit: Ihm fällt A. C. 1219. zu das Land zu Wenden und Rosstoch / daher Er sich Herrn zu Werl und Rosstoch geschrieben / und nimpt seinen Sitz in Güstrow. Belehnet auch A. 1222. die Stadt Güstrow mit dem Schwerinschen Rechte.

(h) Anno nimirum 1226. Conf. Cranz. in Vandal. Lib. 7. c. 16. cujus hæc sunt verba: Henricus Burevinus Patris religiosi bonus filius Ecclesiam fundavit Güstroviensem, quam Privilegiis & opibus voluit Hildesienfi comparari &c. Ad datur Nicol. Mareſchall. Annal. Vandal. Lib. 3. c. 1.

nimirum eo respiceret atque recurreret, unde jus fuit ipsi initio dictum.

Sub NICOLAO s. NICOLOTO V. id felicitatis Urbi contigit, ut non tantum variis partibus fuerit amplificata, (i) sed ultima manus etiam admota structuræ Templi Cathedralis, reductis magis magisque ad pietatis sensum atque curam Venedis. Eqvidem sub NICOLAO VII. faciem fortuna mutare videbatur, dum ob necem HENRICI III, quam ipsi in venatione Filii intulerant, variæ turbæ movebantur. Capiebatur ipse Wizlavus Princeps Rugiensis Güstrovii in cathedrali Templo, quò ceu pacis studiosus concesserat ad preces suas interim fundendas. Terrasque ea calamitas depopulabatur, conjungentibus vires suas Bugislao Sedinensi, & Henrico Leone Meclenburgensi Principibus, ut e custodia tandem dimittere cogeretur Witzlaum Nicolaus noster. (k) Tantum tamen abest, ut urbs hæc nostra vires suas interim amiserit, ut aucta potius fuerit Lacu Gutovienfi, quamquam pro certâ pecuniæ summâ. (l)

A. 1248.

Sub JOHANNE IX. purgata fuit Judæis; qui nescio quâ animi malitiâ in consecratam Hostiam sævierunt; (m) terrisque etiam aliis Meclenburgicis expulsi tandem sunt Judæi omnes sub finem Seculi XV. utpote quorum impietas in DEum atque homines satis constabat, neque unquam ex eo tempore recepti fuere, Privilegiis antea gavisi amplissimis. Propagata fuit rerum felicitas sub NICOLAO X. ejusque filio LAURENTIO, qui dum pacis fuerunt studiosissimi, rebusque divinis à primis velut annis admodum dediti, non quicquam commiserunt, unde ægre fieret Güstrovio, aut à quo sibi metuerent homines, sed in pace rerumque affluentia vivere omnes.

A. 1330.

A. 1492.

Verùm ut sunt rerum vicissitudines, ita sub BALTHASARE quidem irritati Lubecenses, oppugnatum iverunt Güstrovium, eâ tamen

A. 1403.

B 2

men

(i) Chemnit. antea citatus, in Nicolao V. refert: Er verbessert und vergrößert A. 1248. die Stadt Güstrow. Hæc Amplificatio sine dubio huic novo Güstrovio cis Nebulam initium dedit. Nam olim fuit vetus Güstrovium ultra Nebulam extra portam hodiernam situm. Cujus in Protoc. Visit. Eccles. D. Ulrici tempore conscripto fit mentio. Illud circa Ann. 1350. adhuc habuisse peculiarem Magistratum atque Senatum, docent Literæ: des Rahts der alten und neuen Stadt Güstrow Brieff; darin sie Sc. Habuisse etiam A. 1363. adhuc Templum peculiaremque Parochum, qui in Sacello Sucoviensi sacra administravit, ibidem legitur. Sucovienses etiam Rustici ejusdem Templi Oeconomi fuisse 1459. dicuntur (Kirchen juraten der alten Stadt vor Güstrow.) Illud igitur vetus Güstrovium paulatim cæpit obsolescere, hoc novo magis magisque substantis Principibus crescente.

(k) Conf. Crant. Vandal. L. 7. c. 43. Thomas Kanzov. in Pomer. Msc. Fol. 163. Miscal. Vet. Pomer. pag. 317.

(l) Hec refert Chemn. l. c. in Nicolao VII. A. 1307.

(m) Horrendum hoc Judæorum crimen satis prolixè exponit Cranzius in Vandal. Lib. 8. cap. 8. item Nicol. Marefch. in Annal. Vandal. Lib. 3. cap. 9. Anno 1492. ob eandem malitiam Sternberga admissam supplicio affectos esse Judæos, refert Nicol. Marefchall. Ann. Vand. L. 7. c. 8.

men fortunâ, ut pacem ipsos redimere oportuerit non sine magnâ vi pecuniæ (n)

A. 1436. Postquam sic ultra ducentos annos continuâ successionis serie Principum Sedes fuisset Güstrovium, decedente WILHELMO, ultimo Venedorum Principe, eam mutationem subiit, ut in pace tamen remanserit, transeunte simul successionis jure etiam ad Duces Meclenburgicos tanquam ad Seminarium suum (o). Et licet HENRICI PINGUIS ætate, qui solus rerum fasces gessit per Terram Meclenburgicam 6. annos, Sedes hæc Principum velut vacua relinqueretur, occupata tamen iterum fuit, factâ inter Filios divisione, rerumqve abundantia floruit. Equidem sub HENRICI PACIFICI ALBERTIQVE PULCHRI Fratrum Regimine eam iterum fortuna novercantem faciem induit, ut non tantum vacaverit Sedes hæc Principum, sed triplici etiam incendio intra decem annorum decursum tota penè urbs absumta fuerit (p); eâ tamen felicitate, ut paulo post accenderetur fax Evangelii præferenda omnibus, velut igne prius purgari debuissent atqve præparari hominum animi. Petri namqve sanctiqve Pauli doctrina tantis hominum tenebris involuta erat obscurataqve, ut vix crepusculum superesset. Quare in flammis etiam abiit urbis pars maxima, bis circa vesperam quidem ejusdem diei, qui Apostolis hisce sacer est, semel Anno III. tum Anno VIII. Seculi XVI. restabatqve, ut tertium etiam immitteretur incendium, finito jam Festo omnium Sanctorum, quò sic magis ad se redirent homines, agnoscentes vanitatem mundi, Lucemqve Evangelii, quam DEUS in has terras etiam reducere volebat, eo liberius admitterent, tanquam meliores Sancti futuri.

A. 1503.
1508.
1512.

Flammam ergo hanc funestam illud gratiæ divinæ lumen mox secutum est, quod, detectâ Sacrificulorum fraude, apertâ facie veritatem Fidei hominibus ostendit, eamqve eo gratiorem reddidit, quo facilior inde ad DEUM iterum aditus aperitur. Quæ gratia ut iterum obtingeret etiam Güstroviensibus, pariter effecit SVERINUM, unde voluntate HENRICI Pacifici pii viri iique doctissimi Güstrovium profecti sunt, de salutis viâ plenius verba facturi: initiumqve rei factum est in Templo, ut vocant, Parochiali, successu

A. 1533.

(n) Habenda fides Nicolao Mareschallo, quonemo diligentius Res Mecklenburgicas pervestigavit: qui Libr. III. c. 12. *Annal. Vandal.* irradit: Er hat die mit Krieg Schwanger gehende Lübecker geschwinde zu andern Gedancken / und zum Frieden gebracht / welchen Sie denn mit einem grossen Post Geldes erkauffen müssen. Confer. *Cranz. Vandal. Lib. X. c. 10.*

(o) Conf. *Nic. Maresch. l. c. c. 18. Crantz. l. c. L. XI. c. ult.* Contigit vero hæc insignis rerum mutatio A. 1436.

(p) Fatalis hic imprimis Güstrovia fuit dies 28. Jun. Vigilia nempe Petri atqve Pauli, qua incendium illud primâ & secundâ vice exarsit, Anno nimirum 1503. & 1508. Postrema autem flamma post Festum Omn. Sanct. A. 1512. cepit: Arci interim Temploqve Cathedrali semper pepercit ignis, calamitatem hanc funestam enarrantibus vernaculâ nobis linguâ Rhythmis, quos adhuc in Templo Paroch. pila cuidam adscriptos habemus,

cessu tamen parùm felici, ignorantium aut pertinacium multitudi-
ne, quibus poterant viribus, resistente. (q)

Supervenit tandem D. GERARDUS OEMICHIUS Westphalus, Theolo-
gus certe insignis, Sverino huc missus: cujus Svadâ, Prudentiâ atqve
dexteritate magis se flecti permisit populus, quasvis furias licet spi-
rantibus Adversariis, non tamen contra id valentibus, ne Oemichius il-
le primus Templi Parochialis Præpositus crearetur, moxqve Gene-
ralis Ecclesiæ per Terram Meckleburgicam Superintendens. (r)
Restituebantur tunc omnia pristinæ suæ puritati: præficiantur
Ecclesiæ pii Ministri: Scholaqve erigebatur nova & suis Viris tunc
spectabilis. Quæ reliquiæ erant Adversariorum, non tam ejectæ
fuerunt sub ULRICO Duce, quàm sponte suâ dilapsæ, elabentibus nimi-
rum clam uno post alterum Sacrificulis: Sicqve Evangelium eâ, quâ
debet, puritate primus publicè explicare cœpit M. Henricus
Piperites in Templo etiam Cathedrali, A. 1568. reparato, è Paro-
chiali Ecclesia, cujus Pastor ante fuerat, jubente PRINCIPE huc voca-
tus translatusqve. (s)

A. 1547.

A. 1568.

Recepit quoqve sub ULRICO illo Sedis suæ Principalis urbs splen-
dorem: Arcisque illa pars, quæ Orientem spectat, ex flammis e-
tiam suis, quibus A. 1557. absente Duce & in Misniam profecto,
conflagraverat, illustrior surrexit, adjectâ simul ædiculâ, quæ Sa-
cris Aulicis est consecrata. Quibus rebus tam bonis tam splendi-
dis velut ornamentum quoddam totius Civitatis accessit Schola hæc
illustri, à Principe incomparabili ULRICO IV. pariter fundata, or-
nata, amplificata. Rectorqve primus fuit Wolfgangus Leopoldus,
Principis CHRISTOPHORI Meclenburgici in juventute Modera-

A. 1557.

C

tor

(q) Primus Evangelii purioris Præco Güstroviensis fuisse perhibetur Joach. Krusel
quem A. 1533 in æde Parochiali publicè ad docendum excitatum allegavit
M. Petrus Willebrand. in Conc. super Psalm. 67. d. 25. Junii A. 1633. habitâ.

(r) D. Gerardus Oemichius Chamâ Westphalus, Lutheri Melanchthonisqve æqua-
lis ac familiarissimus, primùm Susatensium, tum Mindensium, post Lünebur-
gensium, tandem Meckleburgensium Superintendens factus, Güstroviensium-
qve in Æde Paroch. Præpositus, quo munere in 15. annû egregie functus, A. 1562.
diem obiit supremum, Güstroviique in Templo Paroch. sepultus, in quo et-
jamnum ipse conspicitur Epitaphium è regione Cathedra. Filium reliquit
M. Franciscum Oemichium, factum illustr. Schol. Güstrov. Con-Rect. Sex
Con-Rectore Rectorem, in quo munere summâ cum laude consensit tan-
demqve exspiravit.

(s) Ducis Ulrici IV. & in primis ejusdem Seren. Conjugis Elisabetha, ex Regiâ
Danorum stirpe generata, Munificentia omnem sui Reparationem debet Ca-
thedrale nostrum Templum. Id quod loquuntur verba ab aversa summi Al-
taris parte eodem in templo ad ejus rei memoriam olim consignata: Nach
unserm Herrn und Seeligmachers Geburt A. 1565. hat die Durchl. Fürstin/
Fr. ELISABETH, geböhrtne aus dem Königl. Hause Dänemarck, angefangen diese
Ehrl. Kirche, welche schier gang verfallen / und zu einem wüsten Hause ge-
worden / dem lieben Gott und seinem heiligen Worte zu Ehren wiederum zu
bessern / bawen und renoviren / und ist die erste Christliche Predigt darin ge-
schehen Anno 1568. Sontags nach dem Neuen Jahre. Cuius Temporis suâ
olim atate recordatus Sereniss. D. GVSTAVUS ADOLPHUS solenne Jubila-
um in Templo hic nostro Cathedrali A. 1668. Dominicâ à Circumc. Fest. proxi-
mâ celebrandum curavit, ipseqve istiusmodi Sacris interfuit.

tor, elegantis & politi ingenii, doctrinæ pariter & industriæ, testante Davide Chytræo Theologo illo celeberrimo. (r)

A. 1603. Adeo omnia tunc florere Güstrovii, ut nec Principi sua felicitas, nec Ecclesiæ sua Salus, nec Civitati bonæ Leges deessent, quibus continerentur homines ad omnem frugalitatem, vitæque suæ bonitatem. Quæ bonitas PRINCIPIS hujus ULRICI cum tanta esset, hanc etiam ipsi gratiam Dei peperit, ut non solum penes Rempublicam fuerit 49. annos, denatus quippe anno ætatis suæ 67. sed & memoriam laudis suæ hic reliquerit prorsus immortalem, tot Constitutionibus bonis adhuc reliquis, quibus stat salus Reipublicæ nostræ in rebus etiam Ecclesiæ. Successor quippe CAROLUS I. ipsi datus, quæ statuta erant, non approbavit solum, verum & confirmavit, multisque accessionibus auxit: non GÜSTROVIUM, non terra circumjacens prædicare satis potest felicitatem per omnes partes tunc diffusam, quoties memoria rei ex antiquis monumentis recurrit.

A. 1611. Successit JOHANNES ALBERTUS II. qui circa Religionis cultum dum mutare quædam voluit, id consecutus est, ut homines redderentur ad fidem attentiores, magisque fidei suæ probitatem etiam Güstrovii declararent: sicque vel hoc facto salus hominum quæsitæ est & stabilita. In eo tamen infelices fuere omnes, quod non peste solum, cujus rabie periere multa millia, sed bello etiam terra tunc infestaretur prorsus exitiali. Eloquantur illi hæc mala, qui atrocitatem aut cogitatione assequuntur, aut aliquando ipsi experti sunt. Horret ipse animus calamitatis memoriam subire, quam aut metus attulit, aut ipsa militum licentia, cum hyberna sibi sumeret etiam in his terris exercitus Cæsareus. Proscribebantur à

A. 1628. Cæsare PRINCIPES nostri: quâ clade nihil erat intolerabilius: patebant furori hostium, quæ vellent: Duxque alius Cæsaris nomine, vulgo WALLENSTEINIUS dictus, huic Regioni præficiebatur. Videbatur jam actum de rebus nostris. Præter opinionem tamen evenit, ut Severitatem temperaret Wallensteinius ille mirâ quadam Prudentiâ, quâ non solum res omnes suo loco suisque legibus permisit, sed Güstrovio imprimis, tanquam Sedi suæ splendorem rerumque affluentiam conciliare voluit. Sicque non tam perdidit, quam conservavit, amplificavitque Güstrovium, ut Sedes esset postea Principi justo eò gratior, eo liberalior. Restituta paulo post

A. 1631. Sedes hæc Principum suo JOHANNI ALBERTO, licet malorum finem exoptaret, non tamen invenit, dum variante belli fortunâ nunc hi,

A. 1638. nunc illi vastitatem terræ inferebant, ipsaque pestis iterum quam gravissimè Güstrovium affligebat. Adeo ad perniciem res velut conspirabant, quamdiu bellum illud triginta annorum gerebatur.

Rediit tandem Lux suavissima in GUSTAVO ADOLPHO, Principe sane magno & incomparabili, cujus in Regimine dum principium & finis summam bonitatis laudem habent, eamque æternam, æstimare in proclivi est, quantas vires sub tanto Principe per omnes partes sumserit Güstrovium. Excurrerem eo liberius jam in

(r) In Oratione funebr. Duci Christophoro A. 1592, habitâ.

in tanti Principis laudem, nisi in recenti memoriâ essent rerumque bonitate adhuc omnia apud omnes. Non tamen præterire fas est, quantâ propensione, quantâ liberalitate exceperit Viros quoscunque eruditos Princeps ille Magnus. Excellens quippe ipse in quovis doctrinæ genere, non à se alienum putavit, doctos sibi adjungere, eosdem largiter alere atqve in consilium adhibere, ratus, in eo hominis excellentiam consistere, quod & possit numerare atqve conversari cum Sapientibus, qui futura prospiciunt, rerumque eam rationem ineunt, ut de immortalitate quoque sua maturè cogitent. Nondum exarueret lacrymæ, quibus profecuta est tantum PRINCEPEM hæc Civitas nostra. Atqve Schola hæc eum Nutritium, eum Statorem habuit, qualem antea nunquam. Vidit quippe sapienter apud animum PRINCEPS ille Magnus, non posse Rempublicam satis tutam aut beatam esse sine Literis Scholarumque conservatione, utpote in quibus humani generis dignitas præ brutis ostenditur, conservatur atqve vindicatur. Quare Scholam hanc amplissime ornavit, eamque post varias deliberationes etiam cum exteris Viris celeberrimis institutas in GYMNASII formam liberaliter transposuit: sæpiusque ingressus est ipse Scholam exemplo Caroli M. aliorumque Imperatorum, ut nimirum juventuti calcar adderet ad Virtutis viam eò fortius perfequendam. Diem diximus infelicem, cum tantus Princeps, tam sapiens, tam bonus humanis rebus eriperetur.

A. 1662.

A. 1695.

Verùm quid malis nostris diutius illacrymemur? Respexit nos iterum gratia DEI, luxque illa affulsit, quæ omnem rursus lætitiæ materiam præbet omnibus. Recepimus jam FRIDERICUM WILHELMUM, PRINCEPEM omnibus exoptatissimum! Rediit jam ad suum Dominum terra, quo aliquandiu carere debuit aliorum voluntate; atqve ita rediit, ut, quod fuit Jus successionis, omnium consensu jam sit comprobatum. Sicque repetiit jam GÜSTROVIUM illam Domum Serenissimam, unde Salutem Reipublicæ, unde solatium, deficiente Principe, successionis jure semper iterum habuit. Prima namque Jura, quibus usa hæc Civitas nostra, cum crescere inciperet, fuere Sverinensia: primam viam, quâ Evangelii Præcones eo felicius adirent Güstrovienses, etiam aperuit Sverinum sub Henrico Leone Saxone: Et HENRICUS etiam Meclenburgicus, isque Pacificus cognomine, fuit, qui, ut Fides purgaretur Güstrovii, Lutheri quidem ætate, Sverino huc Evangelii Ministros submisit: neque ADOLPHUS FRIDERICUS I. defuit Güstroviensibus, cum periclitari viderentur res fidei. Eam scilicet salutis suæ curam GÜSTROVIUM semper debet SVERINENSIBUS, ut nec agnosci satis possit, nec collaudari. Quare factum etiam esse credamus divinâ bonitate, ut nunquam Sverinensium, sed Güstroviensium subinde PRINCIPUM Familia defecerit, remunerante sic velut DEO Beneficentiam, quâ SERENISSIMA DOMUS SVERINENSIS res Güstroviensium & sublevavit semper & restauravit. Sverino quippe tanquam ex Seminario quodam PRINCIPES hæctenus, velut supplementi loco, ad imperium Güstroviense translati sunt. Divinâ ergo voluntate in sinus inque manus Magni nostri FRIDERICI WILHELMI jam relabimur. O insigne DEI beneficium!

Venimus jam in fidem atqve potestatem illius DOMINI, qui dum viribus valet, terræqve novâ accessione major factus est, rebus etiam nostris laborantibus magis subvenire potest. Atqve revixit jam WILHELMUS, ultimus Venedorum Dominus sapientissimus, in nostro WILHELMO Magno, non sine Providentiæ divinæ bonitate, ut nimirum credamus & lætemur, DEUM hunc PRINCIPEM nobis dedisse tanquam restitotorem, rerumqve nostrarum Amplificatorem. Gessit hætenus DOMINUS hic noster POTENTISSIMUS ita Venedorum nomen, ut propensus etiam fuerit & benignus in salutem hominum hic viventium. Quid futurum jam credamus, cum in totius Terræ Ducatusque Possessionem ipse venit? Certe alter ille WILHELMUS Noster, alter erit etiam GUSTAVUS ADOLPHUS, & gloriam & splendorem rebus nostris majorem Liberalitate suâ adjuncturus.

Quare ad pedes nos tanti PRINCIPIS Nostri jam projicimus, imperata quæcunqve facturi, exclamantes insimul ex omni pectore: **Vivat FRIDERICUS WILHELMUS Magnus, Dominus etiam Noster jam clementissimus, Ejusqve ingressum comitetur omnis generis Felicitas, ut quàm longissimè vivat ex voto voluntatis suæ juxta DEI voluntatem!** Hujus Clementiæ & Bonitati committimus jam Civitatem, quæ hætenus sub PRINCIPIBUS suis Christianis felicissimè crevit. Hujus fidei, Hujus gratiæ & providentiæ etiam SCHOLAM NOSTRAM commendamus, certissimâ spe fore, ut Schola hæc, quæ est PRINCIPUM, & jam FRIDERICI nostri WILHELMI Magni, amplius conservetur, nutriatur, amplificetur, quò DEI in eadem gloriam laudesqve PRINCIPIS Nostri Serenissimi exponamus semper, dicamusqve vocibus nostris in cælum usqve resonantibus.

O æterne DEUS, qui es Pater rerum omnium, supremusqve ipse Arbiter, serva nobis hunc PRINCIPEM tam bonum, tam clementem, quem nobis ipse tribuisti! Confirma in ipso mentem JOHANNIS THEOLOGI, cujus sanguine Ipse est fatus, atqve laudes WILHELMI, quas ille Posteritati reliquit! Augeas ULRICI IV. perpetuam Regiminis felicitatem, vitæqve longævitatem! Multiplices tandem GUSTAVI ADOLPHI sapientiam atqve favorem in Literatos Bonosqve omnes! Sicqve æternum **VIVAT FRIDERICUS noster WILHELMUS!**

DIXI.



tamen parum felici, ignorantium aut pertinacium multitudi-
nibus poterant viribus, resistente. (q)

pervenit tandem D. GERARDUS OEMICHIVS Westphalus, Theolo-
gus, Sverino huc missus: cujus Svada, Prudentia atque
puritate magis se flecti permittit populus, quasvis furias licet ipi-
us Adversariis, non tamen contra id valentibus, ne Oemichius il-
lus Templi Parochialis Praepositus crearetur, moxque Gene-
ralis Ecclesiae per Terram Meckleburgicam Superintendens. (r)
tuebantur tunc omnia pristinae suae puritati: praeficiebantur
Ecclesiae pii Ministri: Scholaque erigebatur nova & suis Viris tunc
habilis. Quae reliquiae erant Adversariorum, non tam ejectae
sub ULRICO Duce, quam sponte sua dilapsae, elabentibus nimi-
um uno post alterum Sacrificulis: Sicque Evangelium ea, qua
puritate primus publice explicare cepit M. Henricus
ites in Templo etiam Cathedrali, A. 1568. reparato, e Paro-
chiali Ecclesia, cujus Pastor ante fuerat, jubente PRINCIPE huc voca-
tusque. (s)

A. 1547.

A. 1568.

que sub ULRICO illo Sedis suae Principalis urbs splen-
de illa pars, quae Orientem spectat, ex flammis e-
cis A. 1557. absente Duce & in Misniam profecto,
illustrior surrexit, adjecta simul aedicula, quae Sa-
consecrata. Quibus rebus tam bonis tam splendi-
dum quoddam totius Civitatis accessit Schola haec
pe incomparabili ULRICO IV. pariter fundata, or-
dine. Rectorque primus fuit Wolfgangus Leopoldus
CHRISTOPHORI Mecklenburgici in juventute Modera-
tor

A. 1557.

purioris Praeco Güstroviensis fuisse perhibetur Joach. Krusel
in aede Parochiali publice ad docendum excitatum allegavit
Brand. in Conc. super Psalm. 67. d. 25. Junii A. 1633. habitus.
Oemichius Chamus Westphalus, Lutheri Melanchthonisque aequa-
lissimus, primum Susatensium, tum Mindensium, post Lünebur-
gum Meckleburgensium Superintendens factus, Güstroviensium
Praepositus, quo munere in 15. annu egregie functus, A. 1562.
in eodem, Güstroviique in Templo Paroch. sepultus, in quo et
conspicitur Epitaphium e regione Cathedrae. Filium reliquit
Oemichium, factum illustr. Schol. Güstrov. Con-Rect. & ex
electorem, in quo munere summam cum laude consenuit can-
avit.

In primis ejusdem Serenae Conjugis Elisabethae, ex Regia
e generate, Munificentia omnem sui Reparationem debet Ca-
m Templum. Id quod loquuntur verba ab aversa summi Al-
em in templo ad ejus rei memoriam olim consignata: Nach
und Seeligmachers Geburt A. 1565. hat die Durchl. Fürstin/
gebohrne aus dem Königl. Hause Dänemarck/angefangen diese
welche schier ganz verfallen/ und zu einem wüsten Hause ge-
eben Gott und seinem heiligen Worte zu Ehren wiederum zu
und renoviren/ und ist die erste Christliche Predigt darin ge-
68. Sonntags nach dem Neuen Jahre. Cujus Temporis sua
rdatus Sereniss. D. GVSTAVUS ADOLPHUS solenne Jubila-
ic nostro Cathedrali A. 1668. Dominicam a Circumc. Fest. proxi-
curavit, ipseque istiusmodi Sacris interfuit.

